

London
1819

Medical Tracts,

By

H
XX
IV
C
19

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS PRESSU SANANDIS.

To — Roberts Esq.

with most respectful Compliments

from

The Author

76405

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MORBIS PRESSU SANANDIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS SLACKE,

ANGLO-BRITANNUS,

COLLEG. REG. CHIR. LOND. NECNON SOC. REG. MED. EDIN.

NUPERQUE SOCIET. MED. GUYENSIS SOC.

“ ————— Magni formica laboris

“ Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo.”

HOR. SAT. I. 33.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXX.

VIRO REVERENDO ET SPECTATISSIMO,
GULIELMO BENNETT,
CHAPEL-EN-LE-FRITHENSI,
IN COMITATU DERBIENSE,
OMNIGENA SCIENTIA PERITO,
LITERISQUE TAM SACRIS QUAM HUMANIORIBUS
EXORNATO :
PROPTER VITAM PROBAM ET INTEGRAM,
MORES URBANOS ATQUE AMABILES,
OMNIBUS CARO :
OB INNUMERABILIA IN SE COLLATA BENEFICIA,
HOCCE OPUSCULUM,
GRATI ANIMI TESTIMONIUM,
SUMMA CUM OBSERVANTIA,
D. D. D.QUE
AUCTOR.

SAMUELI HIBBERT,

M. D. S. R. S. E. S. W. S.

COLLEG. REG. CH. ED. PERMISSO,
SOC. REG. MED. SOC. EXTRAORDINARIO,
&c. &c.

VIRO,

BENEVOLENTIA, HUMANITATE,
ALIISQUE VIRTUTIBUS ORNATO :

RATIONIBUS DOCTRINAE

AEQUE AC

ARTIUM DISCIPLINIS

IMBUTO :

OB MULTA AMICITIAE OFFICIA

IN SE

ASSIDUE ET GENEROSE OBLATA :

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

QUALECUNQUE SIT,

IN PERPETUAE OBSERVANTIAE PIGNUS,

SACRUM ESSE VULT

THOMAS SLACKE.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

NEC NON
VIRO PRAESTANTISSIMO
JACOBO AINSWORTH,
COLLEG. REG. CH. LOND. SOC.
ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PRAELECTORI,
APUD MANCUNIENSES,
ARTEMQUE SALUTIFERAM IBI FAUSTISSIME
EXERCENTI:
VIRO, MORUM SUAVITATE,
HAUD MINUS QUAM ERUDITIONE SPECTABILI ;
PROPTER INSIGNEM BENEVOLENTIAM,
DUM TUTELA ET DOMO EJUS FELICISSIMUS EST,
SUMMAQUE IN SE CUMULATA BENEFICIA
IN ANIMI DEVINCTISSIMI GRATIQUE
MONUMENTUM,
HUNC MEDICUM LABOREM,
ITA UT EO INDIGNUM ESSE DOLEAT,
CONSECRAT
ALUMNUS.

“ I consider it as a principle admirably good in itself,
“ and in its application promotive of the interests of
“ science and of humanity, that every professional man
“ should contribute his quota towards a general fund
“ from which we may expect to derive accurate HISTO-
“ RIES of disease.”

Black's Clinical and Pathological Reports, Page 111.

ERRATA.

- Pag. 10. *pro contegit lege contigit*
— 27. *pro aegro lege aegrae*
— 28. *pro receperent lege reciperent*
— 31. *pro potest lege possunt*
— 40. *pro duo lege duobus*
— 44. *pro obstat lege obstet*

DISSERTATIO MEDICA,

QUAEDAM

DE MORBIS PRESSU SANANDIS

COMPLECTENS.

MIMI quidem cogitanti, quomodo optime hujus Academiae praeclarissimae legibus obtemperem, nihil meliùs in mentem venit, quàm ut de pressu quaedam in morbis sanandis disseram. Multa scio esse in Medicinâ nequaquam satis adhuc explicata; multa difficilia et perobscura quaeque nullo modo hujusmodi tentamine tractare licet: nam et perbreves sint hisce paginis limites, neque tyronis, vel literis latinis haud penitùs imbuti est, rebus

A

multam noctem offundere. Quaeritur a nobis forsán aliquid novi, aut “ illud salubre ac “ frugiferum in cognitione rerum *,” ut, vel ingenii nostri, quidnam futurum sit, testimonium exhibeamus; vel hominibus, novo quocumque remedio invento, prosimus. Arduum hoc quidem, et minimè disciplinam quamvis inchoantibus perficiendum; quid? quod discere nos adhuc profiteamus non autem docere: quí enim fieri potest, ut qui primis tantum labris Physiologiam, Anatomiam, et alias Medicinae partes gustarint, hi viros doctos et exercitatos doceant? Profectò non audeo tanta de me sperare; qui, quanquam viam vix ante calcatam institi, id quidem feci, non ex cupidine rerum novarum, sed ut quamplurimos juvare possim; ac ne quis mihi vitio det se non intelligere quorsum haec tendunt, admonendum hoc loco putavi, quasi principia tantum hujus questionis me attigisse, neque multi ponderis esse duxisse fusiùs de ratione

* Liv. Praef.

medendi dicere, utpote omnium primum sit, ipsum morbum tollere. Non quod non oportet interdum philosophari de causis occultis, (non enim probo sententiam ἐμπειρικῶν), sed quod longum esset ad omnia de cutis absorptione disputare, et nunc opus breve desideratur. Praeterea, inter medicinam faciendam, quantum haec curatio ad varia incrementa morbosa valeat, saepiùs cognoscere aggressus sum; et eo magis ad hanc rem tractandam adductus sum, utpote haud pauci, neque exigui nominis, hanc rationem secuti, eandem sine ullo discrimine laudibus cumulârint; quâcum verò injuriâ, Historiae modò narrandae docebunt.

Plerique summos Medicinae honores ambientes, aliâ prorsùs ratione, quàm quae mihi instituta est, utuntur. Nobis verò fideliter narratae morborum historiae curationesque, unà cum iis, quae menti juvantis obveniunt, observationibus pathologicis, haud exigua videntur commoda Medicinae artem discentibus,

conferre. Plurimi quidem eorum, qui Medicinam feliciter excoluerunt, hunc modum usurpati sunt, et “ primus quidem ex omnibus memoriâ dignis, Hippocrates, vir et “ arte et facundiâ insignis *.”

Hanc viam insistentibus, philosophia illa contemplativa, quam mens hominis inconstans sequi tam proclivis est, vix potest observationis locum sibi usurpare; neque theoriae in animum irripent ita ut res et facta excludant. Nec dicerem, quin haec contemplatio utilitates suas et magnas aliquando praestet; quid? quod etiam mihi persuasum est, medendi scientiam, hâc rejectâ, nunc temporis in incunabilis pene fuisse; ideoque sententiae medici cujusdam elegantis et peritissimi, nuperrime autem defuncti, lubens consentio :—“ The science of Medicine would “ suffer equally by an illiberal discouragement “ of speculative opinions, or by too ready ac-

* Celsi Praef.

“ quiescence in them ; one would lead to a
“ contracted and degrading Empiricism, the
“ other to a confused and pernicious versa-
“ tility *.”

Me, igitur, haud tamen passibus aequis,
horum vestigia prementem, paululùm de in-
stituto, quod alma nostra Academia, jurè cele-
berrima, candidatis suis imperavit, haud sine
causâ, deflectere confido.

Notabile est, vocabulum in Linguâ He-
braicâ, quae forsân est linguarum omnium
antiquissima, ulcus vel vulnus significans,
(unde nimirum verbum illud vernaculo ser-
mone “ Sore” dictum, deductum est,) ex radice
cujus vera significatio compressionem denotat,
derivari ; et ut legis Judaicae doctores volunt,
hanc ob causam, quod pressus a veteribus in
morbis hujusmodi adhiberetur. ןוֹר Compres-
sit, Comprimendo expressit : Esa. i. 6. “ Non

* Vid. Ferriar's Medical Histories, Praef. vol. 3.

“ compressa sunt illa :” scilicet, vulnera—non sunt curata, sanata : “ Solent enim Chirurghi
 “ vulnera hiantia comprimere, et compri-
 “ mendo saniem et pus exprimere, quo nisi
 “ remoto, vulnera non curantur.”—Schind. in Lex. Pental.—Vid. etiam Buxtorf. et Leigh sub vocibus זור et מזור.

Utcunque antiqua ista se habeant, egomet quidem primùm in pressû utendo operam dedi, ut ad quam speciem, tumor unusquisque referendus esset, comperirem. Nam “ ad recte
 “ medendum, omnino opus est, ut remedia,
 “ non solùm generi, sed speciei cuique, et
 “ saepe etiam varietatibus quibusdam, appri-
 “ me sint accommodata *.” Postea verò diligenter animum incubui, adeo ut effectus ejus observarem, et nisi symptomata quaedam infausta obvenirent, perseverabam, quantum res et aegri commodum mihi sinerent, sic ut facultatibus hujus remedii veris perspectis,

* Vid. Culleni Synop. Nos. Method. Proleg.

eventum periculorum aequo animo in medio ponerem; “ nulla hujusmodi, adstrictus necessitate ut mihi velim, nolim sit certa quaedam tuenda sententia.”

Primus, equidem, teste fratre suo, de his rebus disseruit, ingeniosissimus olim Joannes Bell. Verba sunt: “ John Bell had an opinion, that it was possible to suffocate and subdue the action of Vessels in Tumours by the Compress and Bandage. This he was wont to illustrate, by the effect of that bandaging of the limbs; by which mendicants reduce the substance of their limbs to a third part their bulk, by the example of the feet of the women in China, and other ingenious analogies. He argued, if the substance of the body could be moulded by pressure, why should not these formidable tumors *?” Vera sint illa necne, viderint alii. Nusquàm enim similia, in libris ejus invenio.

* Vid. Ch. Bell's Quarterly Report of Cases, &c.

Celeberrimus ille quondam de arte obstetricâ, Praelector, Doctor Denman, primus in Carcinomate compressione usus est, eandemque plurimum ob effectus suos laudavit. Qui autem Medicinae artem exercent, nimis facile vires medicaminum nuper compertorum, plus aequo extollunt, ut quae saepissime neque spei neque famae respondeant. Talia enim morbis nullo hactenùs remedio sanabilibus praecipue jactitari solent; quae quidem etsi verisimile est perinde ac priora vix quidquam profutura esse, citò vulgaria, et fere omnibus in manu sunt; adeo blanda dulcedo sperandi est, tantaque apud homines nominum nobilium veneratio.

Deinde Chirurgus ille peritus, Dom. Sam. Young, cum in paucis exemplis optime ei successisset pressus, rem totam, mente acriore, indagare statuit. Erant quidem illi, in Valetudinario publico, occasiones amplissimae virtutes hujus auxilii experiendi; atque ex multis diuque sic tractatis aegrotis comper-

tum habemus, hoc malum, neque hâc neque aliâ quâlibet viâ, summoveri posse.

Minime nos latent, quae nuperrime jactata sunt, a nescio quodam, apud Londinenses, de hac re *. Quis enim, nisi histrio quidam, vel medicus circumforaneus, huic omnium miserrimo morbo remedium propositum, non in lucem ederet? “Histrionis est, parvam rem
“ attollere, quo plus praestitisse videatur †.”

Medicorum Societas, ad Carcinoma sanandum, instituta in Nosocomio Middlesexense, publice renunciavit: “Your Committee have
“ to lament that compression cannot be re-
“ garded as a remedy for Cancer.” Hisce medicis omnes ad unum consentiunt.

Quum verò morbi, partes quasdam occupantes, haud difficilè pressu tollantur, atque tamen

* Vid. Aldis, Observations on Cancer.

† Celsus.

ejusdem pressûs in Carcinomate effectus, nihil valeant, minimèque benigni videantur; eò adductus sum, ut hunc morbum haudquam parti alicui proprium esse crederem, sed in corpore toto, quodam modo, penitùs insedire.

Facile videre est, ex sectione corporis e-mortui, quantùm omnes fere partes internae afficiantur; uterus, nisi magnopere fallor, nunquam quidem non infestatur, si quando lethalis est morbus. Mihi saltem contegit, sexies observare hanc partem hoc vitio omnino implicatam. Tuberculis canerosis semper pulmones referti sunt, adeo ut tota eorum superficies iisdem consita videatur. Ossa etiam effectibus exitialibus non sunt immunia, neque infrequenter accidit, ut his, quos morbus diu traxit, cervix ossis femoris, levi quodam conatu frangatur. Chirurgus ille Astley Cooper, quam qui neque peritior alter, neque clarior unquam artem Machaontis excoluit, in

praelectionibus suis memorat, vertebrae corporis cujusdam quae post mortem desecuerit, ulceribus cancris esse vitiatas; quinetiam exemplum quoddam servavi, quo, ulcus costas et claviculam ex eadem causâ latè exederat. Quocirca, mammae Carcinoma, indicium tantum esse, vel effectum ex corpore ipso laborante, opinor.

Etsi talia de Carcinomatis naturâ sentio, minime mihi in animo est, prorsus scalpelli usum in Cancro incipiente rejicere; quippe què credam, mammae vitia me vidisse, quae naturâ suâ nocentissima, temporis progressu, lethalia demùm facta fuissent, ni tempestive ea a radicibus essent exsecta. Quinetiam si chirurgi huic medendi rationi nimiùm confidunt, verendum est ne quam spem inter initia morbi scalpellum promittit, non solùm maxime incerta sit, verùm etiam ne mala inde originem ducant. Quae cum ita sint, mora ista, et periculosissima, et omni cura vitanda.

Quod ad meipsum attinet, (vix monuisse opus est,) quoties hanc viam medendi secutus sum, toties eandem inutilem esse inveni. Alienum igitur existimo plurima, de pressûs in Carcinomate usu, proferre. Tres ideò historias ex multis aliis quarum annotationes servavi, depromam, quia haec maxime notabilia et vera hujus morbi exempla esse judico; nec minùs quia consilium medendi in stadiis morbi diversis incipiebam.

Singulis quas tradidi historias, observanda quaedam de naturâ ipsius tumoris adjecti, quo meliùs quisque intelligat in quâ re maxime laboremus. Non credo fore ut omnes mecum de anatomiâ partium consentiant, satis verò dixisse erit, haud rationem aliquam secutus sim, sed scalpello nitens eadem comperisse mihi videar. His verò interea missis, nihil obstat, quo minùs veros, et maxime notandos pressus in tumores effectus cognoscamus. Praedicere quoque licet, me plurima, ne longus essem, in unoquoque exemplo

praeterire; neque tamen ignoro quantum utilitatis habeat oratio soluta et perspicua; quicquid igitur mihi visum est ad rem conferre, id quàm brevissime, idemque quoad potero, aptissime et facillime intellectu dicam.—
“ Est etiam in quibusdam turba inanium
“ verborum, qui dum communem loquendo
“ morem reformidant, ducti specie nitoris,
“ circumeunt omnia copiosa loquacitate quae
“ dicere volunt*.”—“ Tamen, ut opinor, penes
“ unumquemque semper fuerit, et quâcun-
“ que de re scripturum, sermone uti simplice
“ et perspicuo, quicum contentus esse debet;
“ non enim credo cuiquam nunc fas esse op-
“ timos et elegantissimos propriùs attingere
“ scriptores †.”

Historia sequens, quantùm valeat pressus in Carcinomate incipiente ostendit.

* Quinct. de Perspicuitate.

† Vide Gregory Conspect. Praef. pag. 2. Edit. sexta.

HISTORIA PRIMA.

AEGRAE cuidam in Valetudinarium Macclesfieldense admissae, tumor erat mammae sinistrae, quae satis superque indolem cancrosum indicabat. Tegumentis lividis et rugosis, tumor ipse, immobilior quidem quàm sunt alia genera indurationum, adhaerebat. Praeterea tactu sentitur esse durus et iniquus, et dolores inde identidem ad humerum perveniunt. Post hirudines admotas, Ferri Carbonatem, atque Conium Maculatum, frustra per hebdomadas paucas devoratum, quid prodesset compressio, periclitandum putavi. Hunc in finem, Emplastrum Hydrargyri cum Sapone impositum, super, laminam plumbeam et linteum injeci; aliis postea linteii plicis adjectis, adeo ut pressus gradatim augeatur. Hocce remedium, non sine multâ sollicitatione, per menses duos ferebat; interea nunquam

non conquerens dolorem, qui sub initio morbi rariùs aggressus sit, in dies graviolem fieri et magis intolerabilem, donec tandem diutiùs se posse ferre auxilium, negaret. Atque nunc Nosocomio valedicens, Medico circumforaneo prope Mancunium, artem suo more exercenti sese permittit. Sexto deinde mense miseram fortè mulierculam vidi, quando mamma perniciosissimo remedio arcano, “Keen” dicto, pene exesa fuit.

Dum sub nostrâ curatione fuit, ne signum quidem unum faustum observavi; neque dubium est, quin si longiùs pressum adhibuerim, exulceratio multò citiùs quàm aliter, superinducta esset. Tantum igitur abest, ut pressus huic vitio proficiat, ut etiam noxiam quandam inferre videatur. Hanc quidem sententiam protuli, non ab exitu unius tantum periculi, sed quia saepiùs idem comperi.

Proximo eodem consilio medendi usus sum, quando ulcus jam aderat.

HISTORIA SECUNDA.

MULIER quaedam, annos fere sexaginta nata, sese permisit Jacobo Cockson, chirurgo optimo et spectatissimo, (cui et collegis suis, ob multa in me beneficia per triennium collata; maximas ago gratias; semperque habebo). Tota fere mamma sinistra, cujus superficies maxime gibba fuit, Carcinomate implicata est. Ulceris margines durae, iniquae, introrsumque conversae erant. Humor tenuis et subfuscus ab eo fertur, tam acris, ut partes undique vicinas eroderet; dolores graves, pungentes, irritatioque corporis, vires multum fregerant. Remediis solitis incassum tentatis, pressum, nec tamen in morbo tam provectoro magnâ spe ductus, adhibui. Ante hapsos admotos, mammae fossulae, cretâ conspersae sunt.

Prid. Non. Maii.—Pila nihil fere incommodi intulerat, et ulcere detecto, sanies foedissima quidem, sed in modicâ copiâ, effluebat. Quae priùs eminebant, nunc fere deprimuntur. Fasciae denuò admotae, paulo vehementiùs astringuntur, neque per aliquot dies, quicquid mutationis subit. Tandem XI. Kalend. Julii, inflammatio ađmodum vehemens orta, partes vicinas ingrassatur. Hapso remoto, et medicamentis refrigerantibus laxantibusque sedulò adhibitis, hoc vitium maturè lenibam, atque denuò lintea applicantur.

III. Kalend. Aug.—Mamma per aliquod tempus aliquantò ulteriùs imminuebatur; ex hebdomadis verò abhinc duobus vel tribus nulla facta est mutatio.

Die Nono Kalend. Septembris.—Cùm ne minima quidem in melius exorta sint signa, et cum dolor ingens et pene intolerabilis aegrotam torserit, frustra, diutiùs ferre remedium, eam sollicitavi.

Tertium, quod in animo est proferre exemplum, ostendit, quid ex pressu sperandum sit, quando mammâ ipsâ ferramento amotâ, ulcus iterùm recrudescit.

HISTORIA TERTIA.

XI. Kalend. Oct. 1815.—Foeminae annos quinquaginta vel sexaginta natae, mamma dextra, cancro laborans, excisa est; sic ut tela ipsa quoque cellulosa sana unâ abscissa, spes omnis reditus ejusdem tollatur. Paucis post hebdomadis, vulnus conglutinatur, et valetudo omnino integra videtur. Mense Novembris Anno Domini MDCCCXVI. cicatricis orae incrassatae dolent, et noxa haec pestifera tandem revertitur. Nullis non remediis, quibus morbus leniri possit usurpatis, dolor nihilominus pungens usque ad axillam tendit, et lintea more Dom. Young admovenda, statui.

XVII. Kalend. Januarii.—Signa leniora.

VI. Kalend. vulnus tactum dolet; atque fasciâ injectâ, dolor per aliquot horas vehemens movetur. Vix ullum signum valetudinis instantis adest, et tamen aegra vult paulò diutiùs fascias habere.

III. Idus: Pluria cutis ulcuscula serpentia exulcerationem vulneri minitantur, et praeterea, dolores jam magis ingentes, morbus in dies augetur.

XIX. Kalend. Februarii.—Ulcuscula serpentia tantùm doloris concitant, ut fasciae post leve periculum rejiciantur.

Atque haec quidem de Carcinomate; ante verò quàm alias narro historias, quo faciliùs commoda ex pressu orta in morbis medendis indicam, operae pretium erit fortasse observare, me hanc viam curandi tentavi in hisce tumorum generibus; scilicet, in tumoribus

qui ex adipe constant, Saccatis, Glandularum Absorbentium, et Bursarum.

Primum equidem genus tumoris, in quo periculum feci, constat ex adipe praeter modum coacto, et re ipsâ est tantum partium moles aucta; nam minime mihi convenit cum viro admodum ingenioso, J. Abernethy. Quantum ipse hos tumores ferro scrutatus sum, semper eos cellulis repletos inveni, neque aliâ re quàm magnitudine, membranae ipsi adiposae dissimiles.

Non est igitur quod hos sub illo genere Tumorum, qui in sacco includuntur, ponas; immo verò proprium sibi vindicant, et genus et nomen. Qui enim vulgò nominantur “Encysted,” hi tunicâ quâdam propriâ, et ab aliis dissimili, neque cellulosâ continguntur.

HISTORIA QUARTA.

QUAEDAM, corpore sano sexagesimum fère annum degens, laboravit tumore humeri dextri sub tegumentis, juxta cervicem sito; ad magnitudinem fère ovi cycnei, quemque sanatum voluit aegrota ex incommodo inde proveniente, ducta potiùs, quam dolore impulsà. Nec tamen ut excidatur, sineret. Hirudinibus, aliisque id genus auxiliis incassum admotis, parti denique fascia arctiùs in dies astringitur. Paucis diebus, tumor mollior factus, decrescit, et paulo pòst, eâdem ratione adhibitâ, omnino tollitur.

Tumores saccati, videntur saepe in uno alteroque ejusdem familiae, et haud raro plures in eodem homine inveniuntur. Vix superant magnitudine nucem juglandem. Cùm nesciam, quibus signis externis, singulae species

hujusmodi tumoris ab auctoribus traditae, dignosci possint, unum tantum exemplum dabo, quo melius exitus periculorum complurium exponam.

HISTORIA QUINTA.

QUIDAM mediae aetatis, et valetudine integrâ, ad Nosocomium opem petiturus venit, propter duos super capitis verticem tumores. Felici, jam in aliis, curatione ductus idem praesidium huic quoque adhibendum statui. Quocirca VII. Kal. Maii MDCCCXIX. pressum more solito admovi, et Kalend. Junii ne vestigium quidem tumorum relinquitur.

Fateor tamen, pressum in nonnullis haud votis respondere.

Glandulae colli, absorbentes dictae, tardè intumescunt. Hoc vitium rarissime juvenes

vexat, et difficillimè ad sanitatem perducitur. Vacat plerumque omni dolore, nisi stadio ultimo exulcerationis; durum tamen est, et schirrho simile, quâ quidem duritie, ex steatomate discerni potest.

Tunicam habet, quam credo esse glandulae propriam, crassiorem factam.

Perdifficilè manu curantur hi tumores, non solùm propter magnas, quae eos adeunt arterias, sed etiam ex situ eorum, juxta carotidem, et quoque ex ipsâ magnitudine.

HISTORIA SEXTA.

QUIDAM, anno quadragesimo primo jam exacto, Nosocomium Macclesfieldense adiit, ob tumorem ad angulum maxillae inferioris. Hirudines ac vesicatoria semel iterumque ad-

motae, nihil quicquid auxilii attulerunt. Vix credibile fuit pressum huic loco aptari posse; nihilosecius, pilam ad rem factam adhibui, sic ut tumorem plus minusve, prout aegro visum est, comprimere possem. Haec, aeger per dies quatuordecim, interea miser, ferebat, quando tumor, minus, quam antea, et durus et amplus videbatur. Spei nobis nunc quidam illuxit, sedulo omnia eadem servavimus, et post tres hebdomadas, ulterior etiam diminutio efficitur. Pressu dehinc aucto, ad finem fere quatuordecim dierum, pars abscedit, neque multo post, abscessus rumpitur. Hoc graviter tuli, etsi effectus salubres e pressu profluentes omnibus notare est.

Bursae tumidae constant ex sacco crassiore, ejusque humore aucto; maxime reperiuntur in illis qui cubito vel genu multum incumbunt, nec raro in carpo adsunt.

HISTORIA SEPTIMA.

PAUPER quaedam quadraginta annos nata Valetudinarium, ob genu dextrum tumefactum, auxilium quaesitum, venit. Tumor magnitudine nucis juglandis aliquanto major fuit, leniter inflammatus, et ex tactu maxime dolens. Ea quae refrigerant, et quietem aegrotanti imperavi; et tandem sensus liquoris fluctuantis, effecit ut acum in eum immittam, quo facto, uncia ferè humoris pellucidi efferretur. Eandem fere copiam altero post die eduxi, et cicatrice vulneri postea inductâ, tumorem comprimendum statui; quod feci X. Kal. Aprilis.

VIII. Kalend. Aprilis.—Durities et magnitudo tumoris imminuuntur. Continuatur remedium.

D

IV. Kalend. Tumor dimidiâ fere parte decrevit.

Pridie Kal. Humor omnino intus sacco deficit, et latera ejus inter se fricari possunt.

VI. Id. April.--Latera Bursae concreverunt, neque opus esse videtur ut cura protrahatur.

Nemo non intelligit, herpetem partes quasdam prae aliis gravissimè vexare; inter quas praecipue annumerare licet cubitum et poplitum. Ulcuscula inter initia, discreta, demùm confluunt, tegumenta fiunt crassiora, et morbus diu trahit, nec ullo modo depelli potest. Postquam itaque saepius remedia auctoribus praescripta, frustra exhibui, ad pressum confugi, et historia jam memoranda, exitum, qui mihi plerumque contigit, optime ostendat.

HISTORIA OCTAVA.

MULIER quaedam, aetatis 37, Herpete inveterato, cubitum et poplitem occupante, tentata, Nosocomium petiit. Nihil adhuc aegro praesidium contulerat. Imprimis igitur linteo tenui et fasciâ cubitum arcte deligavi. Tertio die partem resolvi, felixque crustas amotas esse video, et aspectum quoque sanum rubrumque induci.

Prid. Non. Aprilis.—Cubitus omninò vitio liberatur. Eâdem ratione, poples ipse quoque facile recepit curationem.

Cum tanti tamque felices sint hujus praesidii exitus in hoc morbo, in animum inducam, ejusdem in omnibus fere, quibus partes quaedam, eruptione laborent, periculum facere. Ista enim vitia, omnium saepe foe-

dissima, diu trahunt, neque unguentis aut quibuslibet aliis remediis externe adhibitis; neque etiam medicamini ullo intus, ad prævum corporis habitum corrigendum, dato, vel minime cedunt; quis nescit qualia multa de his noxis in Sacris Scriptis dicantur, et quam difficilem curationem receperent? Non opus est tamen vetera repetere; cui enim homini, ne dicam medico, quotidie non obviam veniunt hujusmodi aegri, vitam et ipsis, et amicis miseram trahentes; adeo ut haud immerito dicas monumenta esse, atque etiam opprobria, nostrae adhuc rudis artis?

Mihi quidem pergratum erit, si quae de his rebus disserui, alii ad vitam feliciter retulerint; nam et delectat aliquid boni concivibus adtulisse, et jucunda est laboris bene suscepti recordatio.

Hoc autem modo, partes comprimere solebam. Super crustas imprimis injeci linteum, cui alias prout visum est, admovi plicas; em-

plastro denique adhaesivo aut Saponis circumligato. Sic enim pressus aequus et constans efficitur; et fasciis quotidie resolutis, partes inspicere licet. Postquam crustae deciderint et parti sanescenti facies rubuerit, tum demùm pro arbitrio curantis, utenda erunt unguenta vel lotiones; haec enim ad novam cutem inducendam plurimùm valent. Dabam quoque plerumque Pilulas Hydrargyri Submuriatis, quibus etsi non multum credebam, ea tamen non inutilia esse arbitrabar.

Cum neque in diversâ, neque saepe in eâdem specie tumorum, pressus bene respondeat; precepta quaedam de ejus usu servanda, dare non possumus. Operae tamen pretium erit fortasse considerare, quomodo tubera haecce, haud raro ampla, tollat, et quâ ratione herpetem fuget.

Causae quidem tumorum, ut opinio mea fert, vel ex motu aucto vasorum, vi aliquâ forsân externâ inducto; vel ab actione quâ-

dam inflammatoriâ pendent.—“ There can
“ be little doubt,” inquit illustris Abernethy,
“ but that tumors form every where in the
“ same manner. The coagulable part of the
“ blood being either accidentally effused or
“ deposited in consequence of disease, be-
“ comes afterwards an organized or living
“ part, by the growth of the adjacent vessels
“ and nerves into it*.” Quae si vera sunt,
pressus aut minuit copiam sanguinis tumori
adeuntem, aut statum ipsum vasorum mutat,
atque hoc modo vitio opitulatur. Quod verò
attinet ad vasa absorbentia, credo ne vel mi-
nimè pressu afficiantur, nec facile horum ac-
tionem auctam esse evincas.

Quod cum ita sit, vix credibile est horum
actionem augeri, nisi ex stimulo quem adfert
pressus; hoc vero admodum dubium esse,
ideoque rationem istam falsam, ostendere
conabor.

* Surgical Works.

Nemo quidem Medicus negabit, vasis absorbentibus inesse sensibilitatem et irritabilitatem, utpote tam multa cuivis Medicinam exercenti, obveniant, quae rem coarguunt. Minimè vero, stimulis admotis, haecce, aequae ac aliae partes, facile inflammantur. Quandounque vis externa corpori infertur, motus sanguinis in eâ parte, et nervorum sensibilitas augetur, nec tamen videmus absorbentia aliquo modo affici; quorum autem frequentia efficitur, ut non potest non laedi.

Sic quoque in morbis organicis, cum tota fere partis fabrica vitiatur, raro videre est absorbentia irritata, quamquam necesse est ea mutationem aliquam subesse. Sed quid opus est verbis: credo equidem, absorbentium vitia ex causâ quâdam specificâ plerumque oriri. Exemplo sunt venena animalia, scilicet, ex Cancro, Lue Venereâ, Hydrophobiâ, Corporum Putredine, et caeteris; neque visum est nobis hoc loco quaerere, effectus eorum ex.

propriis suis viribus, an ex vulnere, quo inserantur, pendeant.

Fricatio vehemens plerisque creditur efficere, ut Hydrargyrus absorbeatur. Dubito autem an ex levi frictione, non aequè facile absumi possit hocce metallum, ac si ipsa inflammatio inde excitetur. Neque desunt aegri, quorum corpora nullo modo sic affici possint; et alii sunt in quibus Unguentum Hydrargyri fortius, summae cuti ad Psoram arcedam, adhibitum plenos suos effectus ediderit.

Quando autem Hydrargyrus ex vehementi frictione, in corpus non infertur, medici saepe, haud sine multo fructu, aegrum suffumigant. In hisce quidem exemplis, Hydrargyrus dicitur maxime per pulmones intùs recipi; non autem video, quid impediat quo minus cutis absorbentia agant. “Every one,” ait quidam, “recollects the unfortunate DR CIRILO’s employment of the saline preparations

“ in ointments. His chief application was
“ the corrosive sublimate applied to the soles
“ of the feet, and it is stated by those who
“ have used it, to be very rapidly absorbed.
“ In the new Neapolitan method, a portion
“ of common ointment is placed in the Ax-
“ illa, whence, without any friction what-
“ ever, it is rapidly taken up into the consti-
“ tution, according to the accounts we have
“ received *.”

Non me fugiunt sententiae clarorum viro-
rum Currie et Seguin, quorum pericula de cu-
tis inhalatione instituta, eos in animum in-
duxerunt, et praecipue priorem, ut credant
cuticula adhuc integra. “ No absorption of
“ solid, liquid, or aeriform elastic fluid, takes
“ place on the surface †.” Quinetiam perhi-
bet absorptionem fieri, vel ex pressu mecha-

* Vid. Dr Carter, short Account of some of the prin-
cipal Hospitals of France, Switzerland, &c.

† Currie, Med. Reports, p. 321.

nico, vel ex cuticulâ detractâ, vel denique ex integumentis erosis. Non dubium est, quin per verba, “ Mechanical Pressure,” fricatio intelligatur, aliter enim quam supra posui sententiam, eadem Doctori Currie fuit; nempe, Hydrargyrum intus posse inferri sine ullâ quâdam fricatione; id quod minime illi visum est, cum ab experimentis suis colligendum duxerit, “ That the mouths of the absorbents terminate under the Epidermis, and do not come in contact with the external air *.”

Nec tamen sequitur ex his atque similibus, ut Hydrargyrus excipiatur propter stimulum quemvis absorbentibus illatum, sed potius ex cuticulâ ipsâ remotâ.

Missa omninò facio quae ab aliis, et hi quidem nobilibus, de hujusmodi experimentis

* Currie loco citato.

dicantur, quique aliud compererunt, quippe quae, utcunque sint, haud putam haecce, ad ea quae modo dixi, attinere.

Conjecturam Morgagni, de actione absorbentium post mortem perstante, comprobavit clarus Cruickshanks. Hunc in finem, ligavit partem intestini majoris, et duobus post horis, reperit absorbentia plurima humore pellucido turgida.

In periculis quoque suis, Haller nunquam invenit dolorem moveri ex rebus quibuslibet applicatis, et praeterea experiendo evicit, ut lactea humorem recipere potuerint, sine ullo nexu nervorum Cerebri. Quae omnia satis superque ostendunt, exiguam esse his vasis vim vitalem. Quorsum haec? prorsus ut intelligatis absorbentium actionem, non adeo facile rebus aliquibus excitari.

Medicamentis quae purgant, aquae coitus in corpore saepissime praeter opinionem

tolluntur ; quod plerumque dicitur oriri, sed falsè ut opinor, ex vasis absorbentibus stimulis. Sunt autem alii, et hi quidem magni, qui optimè hujus rei rationem reddant, nimirum ex cursu humorum ad partes vicinas derivato. Haecce intuens, sagax quidem chirurgus *, eâdem nimirum ratione fretus, tumores curandos voluit, movendo nauseam ; neque dubito, quin hoc modo curatio effici possit ; et nonnunquam fortasse quando, vix ac ne vix quidem partem comprimere licet, eundem tentare debemus. Omnibus bene notum est, ea quae nauseant, vim cordis et arteriarum, eodemque motum ejus, imminuere ; quod et cutis pallor, et sanguis haemorrhagicus repressus, declarat. Fateor tamen, me de hujus utilitate desperare, quippe quod remedium, saepe morbo ipso molestius sit.

Novi equidem aquam in abdomen effusam, nonnunquam citissime evanescere, nullo in-

* Vid. Baron, on Tuberculated Diseases, pag. 158.

terea medicamento dato. Verisimile est, ut hoc efficiatur vasis, quae munere absorptionis perfunguntur, aliquo modo, stimulis. Dixerit forsitan aliquis, hoc non convenire antea dictis, immovèro diversam pene sententiam comprobare videre. Hic vero imprimis retinendum est, multum inter se discrepare Physiologos, venae an lymphatica absorbeant. Docet historia corporis nostri, plus humoris ab intestinis aliquando auferri, quam dato tempore, aut vasa lactea, aut ductus ipse thoracicus, utcunque amplius, absumere possint. Memorat quidem cl. Boerhaave, hominem quotidie libras sexdecim vini potare; et illustrissimus Hunter perhibet quendam ingurgitasse libras duodecim cum semisse, sive uncias ducentas aquae in paucis horis, quam omnem fere brevi, per vias urinarias transisse. Primus equidem, inter hodiernos Physiologiae cultor, de hâc re verbis sequentibus utitur: “ Enfin, s’il était nécessaire de deduire du
“ raisonnement de nouvelles preuves en fa-
“ veur de la propriété absorbante des veines,

“ je rappelleraisque, dans beaucoup d’endroits
“ du corps où l’anatomie la plus exacte n’a
“ jamais pu découvrir que des vaisseaux san-
“ guins et point de vaisseaux lymphatiques,
“ tels que l’oeil, le cerveau, le placenta, etc.
“ l’absorption s’y fait avec autant de promp-
“ titude que partout ailleurs ; j’ajouterois que
“ tous les animaux non vertébrés qui ont du
“ sang ne presentent point de lymphatiques,
“ et que cependant l’absorption y est mani-
“ feste. Je dirais, enfin, que le canal thora-
“ cique est beaucoup trop petit pour donner
“ aussi promptement passage aux matières
“ absorbées dans toutes les parties du corps,
“ et particulièrement aux boissons. Tous ces
“ phénomènes s’entendent parfaitement bien,
“ dès que l’absorption des veines est admise.
“ Les faits, les expériences, et le raisonne-
“ ment, concourent donc en faveur de l’ab-
“ sorption veinneuse *.”

* Majendie *Physiol.* tom. II. pag. 242.

Nonne igitur interea putare licet, venas stimulas haec fluida recipere. Concedamus autem venas non absorbere; quid igitur? Anne haec et similia labefactant quae dixerim? Minime; nam utcunque singulares sint hujusmodi historiae, haud difficilem, ni fallor, explicatum habent. Ecquis omnium tam ignarus est, ut non intelligat, inflammatione adstante, parum aut nihil vasis exhalantibus secernatur. Quid dicam de pulmonibus? quid de naribus? &c. Hydrocele saepe vi externâ fugatur; et nullus dubito quin id pendeat ex inflammatione inde ortâ, atque (ut solet accidere superficiei continuae) per totam Tunicam Vaginalem Testis progrediente. Si igitur statuimus, (quod inter omnes conveniat necesse est,) absorbentia suo munere fungi, non est quod humor iste non citò tollatur. Haecce ad Ascitem referamus. Nonne igitur in promptu erit ratio, cur tam brevi, aquae coitus dissipetur? Mihi profecto ita videtur; cùm inflammatio tam variis causis moveatur, et haud raro vix percipi possit.

Huc adde denique, quod neminem latet, hujusmodi casus rariores sunt, quam ut plures uno vel duo inter vitae cursum, etiam ab iis qui valetudinarios amplos alunt, videri possint; et re verâ, exceptiones habendae sunt; nam quotidie manibus pedibusque frustra talibus aegris mederi conamur.

Cl. Hunter quinque causas absorptionis esse statuit, quarum duae primae, nimirum una ex partibus compressis, altera ex irritatione, minimè probandae sunt, si vera sunt illa quae jam commemoravi. Prima equidem causa agit, ut dixi, imminuendo copiam sanguinis, absorbentium actione nihil mutatâ. Sed et plus efficere potest. Diligentissimus ille corporum scrutator Dominus Cruickshanks, quo fere nullus, majore studio absorbentium naturam indagavit, haec profert: “It is possible that, previous to the absorption of a solid, the parts immediately to be absorbed may be broken down, mixed with, or even converted into fluids. Many facts dispose

“ me to believe, that the first step in the re-
“ moval of solids is not owing to the action
“ of lymphatics or lacteals. I have observed
“ in internal exfoliations of cylindric bones,
“ where a very large portion of the old bone
“ had died throughout, that the cancelli
“ were destroyed, and that the bone must
“ have been thinned as much upon the inside
“ as it was upon the outside, as almost the
“ whole bone died at the same time, which
“ was evident by the lines of separation at
“ the two extremities, without any interme-
“ diate similar lines ; whatever change after
“ took place in its centre and inner surface
“ could not be owing to the action of vessels,
“ they died at the same time the bone died *.”

Atque etiam clar. Hunter simile quiddam
affirmat, de carie dentium : “ This is owing
“ to the enamel losing its regular and crys-
“ tallized texture, and being reduced to a
“ state of powder, from the attraction of co-

* Vid. Cruickshanks, on the Absorbing Vessels, p. 111.

“hesion being destroyed.” Vix difficile creditu est, pressum aliquo modo inducere illam partium mutationem quam celeb. illi viri necessariam esse existimant, atque hâc quoque viâ auxilii aliquid afferre in depellendis tumoribus.

Reliquum est, ut dicam de modo quo pressus Herpeti succurrit; hâc ratione morbum curari, nemo inficias ibit, quo modo tamen id fiat pro certo fortasse non habemus. Vereor ne dum modum operandi explicare velim, ingenium meum quam sit exiguum, ostendam; quippe quod in nullâ re adeo necessarium sit acumen; neque imperitum quemvis, et hujusmodi rebus parum imbutum, temere artem conjiciendi tentare oportet. Pergam itaque quâ me deceat curâ exponere quid ipse sentiam. “Haec, ut potero, explicabo; nec tamen quasi
“Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae
“dixero; sed ut homunculus unus e multis
“probabilia conjecturâ sequens*.”

* Cic. Tusc. Disp. I. i. 9.

Minime nobis convenit nostro ingenioso Baynton, qui dicit fasciam agere roborando partes atque firmando. Mihi diebus pluribus post fasciam applicatam partes scrutanti, observare contigit, integumenta paulo ultra eruptionem leviter inflammari; quod procul dubio fascia movebat. Hinc mihi quidem visum est inflammationem per aliquod tempus excitatam fuisse in partibus, super quas fascia extensa erat. Eruptioni etiam sanescenti facies ruberrima fuit, et granulationibus sanis simillima. Itaque putavi statum illum morbosum vasorum extremorum, ex quibus cuticula fit, et quorum actio abnormis eruptionem effecerat, ab inflammatione mutatum esse. Fasciae igitur, me iudice, perpetuam et constantem irritationem movent, atque hoc modo morbum fugant. Quod si unguenta et lotiones applicantur, partes aut prorsus nihil, aut nimis stimulantur, neque possumus hâc viâ irritationem moderari. Quinetiam fieri potest, ut Herpes, sicut tumores, levetur; cum propter compressionem, partes ipso morbo implicitas minus sanguinis adeat: hinc vasa proxima san-

guine referta irritantur, atque inde oritur inflammatio, quae tum quidem non causa morbi lenioris, sed potius effectus habenda est. Lin-
tea quoque humorem acrem absorbendo, aliquid auxilii fortasse adferant; an pressus ipse secretioni obstat necne, viderint alii.

“ Haec dicere habui,” de Morbis Pressu Sanandis, “ ut intelligeres, lector benevole, “ quam esset obscura, et quam difficiles explicatus haberet *.” Res quidem omnino parum indagata est, ideoque campum fere intentatum intravi; rogo itaque ut mihi nunc primo Phoebi templa ingredienti, benignè faveas.

“ Vive, vale, siquid novisti rectius istis
Candidus imperti; si non, his utere mecum.”

* De Natura Deorum.

FINIS.

